

348  
C.

BIBLIOTECÆ  
M. M. LIBRARY

## LECTORI BENEVOLO

ENCHIRIDII SEU JURIS CANONICI EDITOR.

Juventuti, quae in Seminariis et Collegiis liberali institutione instruitur, quaeve sacrorum canonum disciplina exercetur, rem facere acceptissimam arbitrari sumus, quum duobus abhinc annis librum dare in lucem suscepimus, qui Juris Publici Canonici foret veluti *Enchiridion*. Ac quoniam in hoc genere nihil opportunius, nihil accommodatius inveniri poterat, quam *Institutiones Juris Publici Ecclesiastici* ab Eminentissimo Cardinali Soglia, Episcopo Auximano et Cingulano, editae, artificiosum hoc opus inter nostros etiam propagare consentaneum duximus. Neque enim nos latebat nonnulla tum in ipsa Italia, tum in aliis eruditioribus regionibus, ac praesertim in Hispania, Seminaria numerari, quae librum hunc sibi assumpsissent, quem apud eruditissimos magna existimatione florere compertum habebamus. Hinc

nobis novam nostram libri ejusdem editionem, quorum intererat suffragia nostris etiam in Galliis conjecturam esse licet bat ominari.

Res, ni fallimur, ex sententia successit, contigitque quem optaveramus exitus. Religiosae Ephemerides debitibus laudibus librum exceperunt, manifestarunt quibus praefulgeat virtutibus, et insignem esse demonstrarunt perspicuitate praesertim et temperantia qua quaestiones etiam abstrusiores in lucem proferuntur. Hinc ex Episcopis et viris ecclesiasticis non pauci fuere, quibus liber concinnus adeo, solidus atque absolutus omni parte visus sit, ut Enchiridion illud Juris Canonici Ecclesiastici, jam pridem desiderium disciplinae, se reperisse fateri minime dubitaverint.

Simul tamen et Episcopos illos, et Ephemeridum scriptores aperta cupiditate ardere patuit, ut idem sapientissimus Cardinal Soglia lectiones conficeret Privati Juris Ecclesiastici, quae eadem methodo praestarent, iisdemque virtutibus excellerent, ut hac ratione utrumque opus Jus Publicum et Privatum complectens, tanquam *Institutionum Canonicarum Enchiridion* ad usum Seminariorum et haberetur et esset. Quod desiderium, ubi primum Vir Eminentissimus comper- tum exploratumque habuit, licet gravioribus ministerii curis praepeditus et laboribus aetatis gravatus, effetas exhaustasque in Dei Ecclesiae et Sanctae Sedis defensione vires recepit, praestoque fuit ad illud opus comparandum quod Anconae

typis primo editum, gallicae nostrae editionis causa revisit. Cui operi titulus: « *Institutionum Juris Privati Ecclesiastici libri tres.* »

Ephemeris Picena quum opus nuntiaret haec habebat: « Verba multa expendere, uti huic operi aequa laus commparetur, supervacaneum est omnino. Ipsum per se eminent, primoque intuitu emicat. Auctoris nomen cognoscere satis omnino est ad operis meritum agnoscendum. »

Quare quum ab ipso Auctore jus absolutum proprietatis et facultatem edendi, prout tulerit necessitas et usus, impretraverimus, gallicam hanc editionem, priore longe locupletiorem et emendatiorem exhibere constituimus. Ipse etenim Auctor librum suum accurata recognitione attente denuo revisit, incrementis auxit, detractionibus etiam quae vel in optimo quoque libro desiderantur emendavit, ita ut eximium illud Enchiridion, quod solus aggredi poterat, in melius mutaret. Nos nostram editionem indicibus locupletissimis ditavimus et typis accuratiis instruendam mandavimus. Quapropter nulla vel timoris umbra in nos irrepisit, quominus Episcopi et Ecclesiastici viri praeclarissimi, qui juventuti instituendae summa diligentia praesunt, opus sint quam libentissime accepturi.

Opus universum in tres dividitur partes pro triplici Canonici Juris objecto; atque in prima de personis quaestio est, ubi plura recensentur capita quae sunt de personarum con-

ditione, de Episcopis ex. gr., de Canonicis, de Barochis, de Monachis, de Regularibus, ac demum de iis quae ad sacras ordinationes atque irregularitatem referuntur. Sermo in altera parte instituitur *de rebus*, atque in primis quaeritur de bonis Ecclesiae temporalibus. Hinc proponuntur et declarantur multa de Beneficiis Ecclesiasticis, de bonorum administratione, de alienationibus, deque aliis contractibus, quorum notitia est Ecclesiastici Juris studiosis valde necessaria. Obvius hinc est transitus ad res, quae religiosae, sacrae et sanctae appellantur, quod scilicet Deo, ac Religione sunt consecratae. Perspicue demum atque omnino accurate, prout rei gravitas exigit, de matrimonio disceptatur. Quaestiones scilicet omnes excutiuntur, quae de amplissimo hoc argumento sunt, ita ut profligata quaeque videatur. Ubi vero notitia qualicumque utilis esse potest, ibi res large effuseque, concise et presse tamen uberrima quadam orationis contractione explicatur atque opportunis argumentorum et auctoritatum momentis resolvitur. Pars postrema est *de civilibus et criminalibus iudiciis*. Ac criminalia praesertim judicia omnino non essent, nisi darentur quaerimoniae et culpae, accusationes et delicta, quae poenis sint plectenda. Factum proinde est, ut de criminalibus ac poenis ecclesiasticis praecipuis quaeri debeat. De singulis capitibus judicium proferre omnino nobis non licet; silentio tamen minime est praetermittendum auctorem praeclarissimum Jus Privatum Ecclesiasticum quidem traden-

dum suscepisse, VERUM ORBI CATHOLICO UNIVERSO COMMUNE.

De Jure Ecclesiastico Peculiari, proprio *scilicet provinciarum*, vel *regnum quorumcumque*, ac de consuetudinibus, quae hic et illic legitime locum habent, nihil omnino Eminentissimus Cardinal Soglia attigit. Specialis nimis quaestio et quae si utilis Gallis, caeteris populis omnino supervacanea dici potuisset. Non deerunt certe viri doctissimi, qui de hoc Peculiari Jure cum magno eruditionis apparatu, habita locorum ratione, pertractabunt, et quaestiones ad hoc jus pertinentes, quae mature sapienterque a S. Congregationibus Urbis valde discussae ac disputatae sunt, accurate exhibebunt ac referent.

Haec de partitione operis indicasse sufficiat; reliquum est, ut de ipso Auctore pauca dicamus. Honesto loco Casalae Valentiae, in dioecesi Forocorneliensi, ex nobilibus piissimisque parentibus natus, a tenera aetate studiis excolendis sese totum dedit, profuitque adeo in latini sermonis peritia, ut grammaticam in usum Seminariorum et commentarios latine exaratos ad auctores latinos interpretandos ediderit. Seminarium Forocorneliense ipse adiit, quum civitatis illius Episcopus esset Claramontius Cardinalis, qui discipuli et pietatem et animi virtutes et ingenii ubertatem mox in commendatione prima posuit. Quare ad pontificatum assumptus, Sogliam, jam pulchre admodum artibus ingenuis disciplinaque instrutum, Romam arcessivit, atque carceris exiliique sui socium,

quoad licuit, esse voluit. Quum vero in libertatem vindicatus cum plausu totius orbis Romam Pius fuit restitutus, illico Sogliam inter cubicularios decuriales sibi adesse voluit, eumque canonici textus doctorent in Romana Academia creavit, ubi non sine magna nominis fama plures annos eminuit. Pio VII Leo XII successit, qui Sogliam sibi adjutorem ab eleemosynis elegit et Congregationi studiorum, quam institerat, primum a secretis esse deliberavit. Gregorius XVI sacro Concilio Episcoporum et Regularium a secretis destinavit, quo in officio, quod Romae inter difficiliora et eminentiora habetur, et sapientia praestitit et judicii maturitate et in negotiis agendis prudentia. A consiliis etiam caeteris Congregationibus adstitit, illiusque suffragia, quae vota etiam dicuntur, plurimi semper facta fuere. Anno tandem MDCCCXXXIX, ab eodem Gregorio XVI fuit Cardinalis creatus, illique dioeceses Auximana et Cingulana regendae traditae sunt. Nec sine ingenti earum emolumento; bonus enim pastor ovibus suis se totum mancipavit, corporis aut animi morbo impeditas, aut in implicationibus angustiisque vitae laborantes, consiliis, ope, facultatibus juvans, omnibus obviis et expositus. Temporibus turbulentissimis illum Pius IX arcessivit, sibique ut a publicis negotiis adesset, injunxit. Hic autem diu consistere nequivit; hominum enim libidine tum Pontifex refugium sibi quaerere, tum Cardinalis in suas dioeceses cum magna suorum laetitia regredi est

coactus. Ibi ipse doctrinae suisque totus, in gregem suum Ecclesiaeque disciplinam omni cogitatione curaque incumbit. Utinam Deus Optimus Maximus in longum aevum vitam illi protrahat!

Hem tibi, benigne Lector, Auctorem libri nostri. Quid mirum si huic vitae fuerit opus consentaneum! His demum Institutionibus maximam omnium auctoritatem accessisse scire tibi sit satis, Summi scilicet Pontificis. Quas enim sibi oblatas ita benevole exceptit, ut legendas sibi, dum tempus aderit, Pius IX reservari Cardinali significaverit. Nos illas propagasse pro nostro vindicamus, praemium abunde, si eruditio placeant tironique prosint, relaturi.

## PRAEFATIO AUCTORIS.

---

Jus publicum Ecclesiasticum jampridem edidi in quo illud primum demonstratum est, Catholicam Ecclesiam divinitus institutam Societatem visibilem et perfectam, sive ut aiunt, inaequalem esse, nulli potestati humanae obnoxiam, sed omnino liberam et expeditam in iis omnibus quae ad cultum Dei et salutem animarum pertinent. Deinde palam feci omnem pascendae, regendae, et gubernandae Ecclesiae potestatem a Christo Domino traditam Petro fuisse, et post Petrum legitimis ejus Successoribus Romanis Pontificibus, quos sui Vicarios et Ecclesiae Supremos Principes esse voluit. Apostolis autem quibus sollicitudo omnium Ecclesiarum, salvo Petri primatu, commissa fuit, successerunt Episcopi in regimine singularum Ecclesiarum, iisque dictum est: *Attende vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.*

Praeterea Summus Pontifex suum Senatum habet, Cardinales nempe qui ei perpetuo adhaerent, et in regimine ac administratione Ecclesiae eidem praesto sunt consilio atque opera. Denique cum Summus Pontifex, cui totius Ecclesiae cura et gubernatio tradita est, non ubique adesse possit, ideo ad explicandam auctoritatem suam in Provincias et Regna dissita, vel apud Supremos Principes mittit Legatos et Nuntios, ut sua vice fungantur.

Post haec disputandum fuit circa Personas atque Res Potestati Ecclesiasticae obnoxias. Exstiterunt enim nonnulli Doctores, qui animo ab Ecclesia prorsus alieno in potestatem civilem unam contulerunt omnia, in ecclesiasticam vero aut nihil, aut parum; verumtamen utriusque Societati sue sunt partes, illa curat civium commoda et temporalem hominum felicitatem, haec res sacras atque divinas, et generatim ea quae ad aeternam felicitatem pertinent. Et quanquam non omnia adeo liquida et aperta sint, ut sine ulla dubitatione definiri possint, dedi tamen operam, ut opiniones varias atque inter se dissidentes, quantum fieri potuit, conciliarem, et communis Canonistarum sententia fretus utriusque Potestati quod suum esset tribuerem.

Sed jam ad Jus Ecclesiasticum privatum veniendum est. Jus Ecclesiasticum privatum est illud, *quod privatorum jura et officia determinat*. Quemadmodum enim Jus publicum Ecclesiasticum universae Ecclesiae negotia moderatur, sic

Jus Ecclesiasticum privatum praescribit ea omnia quae ad singularum Ecclesiarum vel Dioecesum administrationem pertinent.

Huic itaque privato Juri tradendo operam datus sum: hoc autem Jus in tres partes pro triplici ejus objecto commode dividi potest, nempe in Personas, Res, et Judicia; quam quidem divisionem Canonistae ferme omnes sequuntur, et Gratianus ipse in tres partes *Concordiam* suam distribuit ordine vero tantisper immutato, agit enim in prima de Personis, in altera de Judiciis, in tertia de Rebus.

Hic vero adolescentes Saerorum Canonum cupidos magnopere exhortor, ut si vere proficere cupiunt, omnem operam curamque adhibeant, ut primas notiones, origines, atque elementa Ecclesiastici Juris tum publici, tum privati bene perspecta habeant, quorum cognitio viam sternit ad Juris prudentiam rite recteque addiscendam: quae omnia in eo Libro qui PRAENOTIONES IN JUS CANONICUM inscribitur, quantum in me fuit, diligenter explanavi.

Lectores denique monitos volo, me in hoc opere Jus Ecclesiasticum commune, quod nempe toti Orbi Catholico commune est, tradendum suscipere, salvis tamen Regnorum atque Provinciarum consuetudinibus legitime praescriptis, privilegiis Apostolicis, aut pactis cum Apostolica Sede conventis.